





DEO

26.

MOTORE OMNIUM PRIMO.
DISPUTATIO PHYSICA

De

CORPORE SUBLUNARI
TRANSPIRABILI,

Quam

benevolo Consensu

Amplissimæ Facultatis Philosophicæ,
in

Academia Philuræa,

publico placidoque Eruditorum Examine
submittent

P R Æ S E S

M. JO. FRIEDERICUS SCHMIDIUS,
Zittavia - Lufatus,
SS. Theol. Cult.

&

R E S P O N D E N S

FRIEDERICUS KLETZSCHIUS,
Silensz. Neo-Marchic. Philos.
& SS. Theol. Stud.

Ad diem 21. Dec. A. O. R. M DCCI.

In Auditorio Collegii Majoris Principum
H. C.

LIPSIÆ,

Literis CHRISTIANI GOEZI.

28

DEO

MAGISTRO OMNINUM PRIMO

DISPUTATIO PHYSICA

DE

CORPORE SUBLUNARI

TRANSPIRABILI

Quam
penevole Consilio
Amplicissime Facultatis Philosophicæ

in

Academia Philosophicæ
publico publicoque Examinum

P R A E S

M. JO. FRIEDERICUS SCHMIDTUS

PROFESSOR

et Scholæ

Philosophicæ

FRIEDERICUS KETTESCHNIG

Magister Neo-Philosophicæ

et Scholæ

Philosophicæ

in Collegio Majoris Principum

H. C.

1775

apud Christianum Goll



B. C. D.

I.



Inter Doctrinas, quæ maxime Ingenia hæcenus torserunt, & adhuc fatigare solent, profectò illa numeranda venit, quæ sollicitè inquirat in earum causas, quæ vulgo **QUALITATUM OCCULTARUM** insigniuntur titulo; & quarum Operationes ut nunc constat, non nisi per **TRANSPARATIONEM**, licet in sensus non incurrentem, tamen revera existentem, fieri solent. Miros enim à corporibus sublunaribus effectus, insensibiles Operationes, & mutationes sæpius, imò omni fermè momento, fieri ac prodire, quis temerè negabit? Nihil igitur obstare videtur, quo minus dicere nobis liceat, **UNIVERSUM HOC MUNDI ASPECTABILE**, sibi Jus quasi vindicare, ut quasi **CORPUS** generali tamen nomine vocare valeamus **TRANSPIRABILE**.

II.

Postquam enim singula, quæ in mundo facta sunt, & adhuc hodiè fiunt, ex minutissimis conflata corpusculis & coagulari deprehenduntur; sic continuò aut per illa augentur, aut minuuntur, conservantur aut destruuntur, de novo crescunt, aut decrescunt, nec ulla generatio, augmentatio, diminutio, immutatio, annihilatio, fieri potest, nisi per **TRANSPARATIONEM**, eamque vel *vehementiorem* vel *remisioem*, id quod palpandum, quasi est in odore florum, quorum effluviis per sensibilem, imò visibilem fermè *Transpirationem*, corpuscula mirum in modum nares afficiunt & replent, ex quo fit, ut per *Transpirationem*, sæpius largiorem, effluxis particulis corpora cujuslibet *Regni*, vel *Vegetabilis* vel *Sensitivi*, vel *Animalis* arefacta, exsiccata & emortua quasi conspiciantur.

A 2

III. Quam-

III.

Quamvis autem Intellectus noster, in inquirendis aliis rebus naturalibus, non omninò plane nihil valet; In hoc tamen *Transpirationis* negotio, ita impeditum deprehendimus, uti, quid dicendum, hæsitare sæpius soleamus. Nam cum cognoscere studeamus, unde CONVERSATIONES, AVERSATIONES, Sympathiæ, & antipathiæ, CONSENSUS, DISSENSUS, *animalium rationalium & irrationalium*, aliæ harmonicæ & contrariæ actiones in *brutis*, *Virtutes Conservatrices & destructrices plantarum*, *Vires Magnetis attractrices*, ortum suum trahant; Cimmeriis veluti immerfus tenebris, intellectus noster esse videtur. Haud ita multo Tempore præterlapsus sumus Spacium, quo *Physici*, qui cum *causas naturalium Φαινομένων* perscrutari non valerent, ad *Sympathiam*, ceu asylum quoddam, refugium ceperunt. Verum nihil inconsultius esse nunc arbitrantur excultiora hac de re Ingenia, quam si quis in Judicio de rebus & ipsarum causis ferendo, confugiat ad *Sensationes*, à quibus tamen nunquam, sed à solo Intellectu veritas petenda sit; In occultioribus oculis caremus, in saporibus, parum sapimus, ad tactum stupemus, in hâc autem servili quiete ne utique commorandum est homini sana ratione prædito, sed eo flectere mentem decet, quo Causæ potius, quantum possibile evolvantur, qua scilicet ratione tot in *Corporibus* fiant *mutationes*, & unde mirabiles produnt *effectus*.

IV.

Has igitur *Qualitatum occultarum Causas*, sub Examen vocare, easque ex DOCTRINA ATOMORUM resolvere, animum induxi. Ast rem satis difficilem ac intricatam aggredi me primum possum videri; attamen, ante multa secula cum DEMOCRITO perspecta, & in præterlapso curioso seculo à VIRIS EXPERIENTISSIMIS summo studio ita tractata fuerit, nullum mihi dubium, si horum vestigia sequar, prout jam placet, quin feliciori pede, quam antehâc alii, in profundissimam Naturæ hanc Abyssum pro mei ingenii modulo, penetrare valeam.

V.

Planè non à Scopo aberrasse DEMOCRITUM, satis, ô si fatius adhuc constat. Ejus enim Principia, quis dixerit absurda? Et qui sanâ ratione pollent, *Clavem*, ad absconditissima naturæ Claustra fabricasse

bricasse

bricasse, eamque nobis reliquisse, asserere non verebuntur; quâ median-
te *corporum mutationum*, atque $\Phi\alpha\sigma\iota\sigma\mu\acute{\epsilon}\nu\omega\nu$ *Causæ* facillimo negotio
excludi quasi & detegi possunt, atque debent. Hoc instrumento, ut, ad
detegendos occultiores naturæ thesauros in *Sublunarium Corporum* la-
tentes cavernis, & feliciter perficiendum, quod suscepimus, negotium,
& nos rectè uti, verasque *transpirationis* indagare *causas*, queamus.

DEI OPTIMI MAXIMI

A & Ω.

Principii sine Principio,
Principiorum omnium primi

Gratiam

assistentem ac cooperantem

devotè

imploramus.

SECTIO PRIOR

De

CORPORIBUS ET EORUM IN GENE-
RE CAUSIS ET PRINCIPIIS.

CAP. I.

De

Principiorum Corporum Sublunarium
compositione

§. I.

Persuasus mihi sum *Corpus Transpirabile* melius explicari non posse,
nisi prius de Principiis, seu materia, Corporis cujuslibet sublunaris
in Genere, sermo factus sit; Ast & circa hanc, diversi diversas fo-
verunt de prisca Philosophantium Gente, & ex Recentioribus adhuc fo-
vent opiniones, quas ἐν παρόδῳ cum alias in Volumina excreveret char-
ta, examinare placet.

§. II.

Corpus Physicum, quod à Thoma *Ens Mobile*, ab Alberto *Corpus*
Mobile, à Scoto, *Substantia naturalis* appellatum est, cum suis hisce no-
tioni-

A 3

tioni-

tionibus non ab *Aristotele* dissentiunt, qui Libro III. de Coelo cap. I. *τὰς ὑσίας* seu *substantias* dicit, & tum simplicia corpora ut cœlum, & Elementa pura, tum composita & mixta, animalia, plantas &c. intelligit. Rudimenta seu Principia compositionis *Thales Milesius* *aquam* dixit *nec incongrue*, cum omnia, quæ miramur & rimamur, in liquorem redigi possunt. *Democritus* ex *atomis* & *Inani*, rerum naturalium suo jam ævo Phænomena declarare sategit; Ex quo affectæ *Neo-Democritæi*, *Atomistæ* & *Corpusculares* dicti medium tenentes, methodum naturalissimam & rationi maximè congruam habere videntur, quibus *Cartesiani*, non rigidiores tamen, conciliari quam libenter possunt.

§. III.

Horum igitur præcipui Philosophorum statuerunt, & nunc non diffitentur, dari in Corpore, *actionem* identidem & *passionem*, seu quod idem, *principium passivum*, quod vocant *materiam* scilicet *primam*, & *atomorum actionem*, seu alterum principium activum scilicet *motum*. Per *Atomos* verò intelligunt *materiam aliquam simplicem, indivisibilem atque insensibilem*; per *Motum* seu principium activum, juxta quod in perpetuâ atomi hæ sunt inquiete & activitate, qui omnis actionis in materia fons est. *Stoici Spiritum* dixerunt. Quæ autem sententia ideò impia dicenda & proin rejicienda venit. Credebant enim, *Mundum mente præditum esse, & intelligentem, & nullum DEum* juxta *assertum* Sexti Empirici, quo suum sibi accersivit *Atheismum Spinosæ*, uti videre est ex ejus *Tractatu Theologico-Politico* part. III prop. 2.

§. IV.

Alii *Principium* in Corpore *Activum* etiam *Spiritum* statuerunt, discernentes tamen ab ipso DEo, quem Motorem primum dicebant. *Scholastici* verò *Naturam naturantem* quasi *Dei Vicarium*, innixi capite *Geneseos* primo, secuti hac in re placita, *Platonis, Mercurii Trismegisti, qui mundum præditum esse anima purissima* ceu omnis vitæ, caloris autore & fautore statuerunt, quibus patrocinati sunt ex Recentioribus *Marcus Marci, Robertus Flud, J. Baptista van Helmont, & Henr. Morus*, cum principio suo hylarchico incorporeo, de quo vide ejus *Enchir. Metaph.*

§. V.

Ex isthâc igitur *materia prima*, seu *atomis* diversis, diversimodè combinatis, *corpuscula*, ex his *moleculæ* & Principia inde constituentia
Cor-

Corporum, seu materia secunda & Forma resultat, fit & coagmentatur, quæ constituit inde Ens corporeum ad sensum extensum, adeoque divisibile; concurrit & alterum Principium Forma, quæ est *molecularum* seu *certa materia secunda modificatio, ratione motus, figura, ponderis, dispositionis, conjunctionis, quæ dat materie esse, fieri, ac operari.* Quodlibet inde, materiam habens & formam, Corpus, vocatur physicum seu Naturale.

§. VI.

Ad hasce plenius & perfectius *Corpus Physicum* partes constituentes spectant præprimis *Qualitates*, quæ certæ sunt *modificationes materie, à motu introductæ* quarum nonnullæ fluunt ex *Materia*, ut *Quantitas & Figura*, aliquæ ex *Forma*, ut *Qualitates & Potentia.*

§. VII.

Qualitates autem in se vel sunt Insensibiles vel sensibiles. Nam *Corporum naturalium* ea est conditio, ut animalium sensus partim sensibilibus partim insensibilibus afficiant. Hinc tamen non idè *Qualitates insensibiles* cum *Peripateticis* dici debent & *Sperlingio*, quod sensui & rationi manifesta non sint. Ab *Excellentibus* sanè hoc in puncto *Ingeniis*, restitutio *Compressorum*, ab impetu materie cujusdam subtilissimæ ac incessanter agitæ: *Gravitatis ac Levitatis ratio, medicamentorum vires & effectus, magnetis, aliorumque Corporum complures hodiè non occultu habentur; cum, aliis sanè quam Veteres, oculis, corpora aspiciant, ita ut transpirabile quodlibet putent, ex quo inde tot mutationes & effectus prodeunt.* Et ita quoque nos ista sumus examinaturi, quando prius de *Compositione & Constitutione Corporum*, actum satis superque fuerit.

CAP. II.

De

*Principiorum Corporum Sublunarium
Constitutione.*

§. I.

BRevisissimis ut & hæc in parte me expediam, Principia alia constitutiva non adinvenies nisi *materiam* de qua nonnulla jam protuli, *secundam*, seu *atomos compactas & Formam*, seu *molecularum compactarum modificationem.* Sunt autem hæc partes *Corpus* constituentes ita comparatæ

atæ, ut, quâ ratione corpus per certam compactorum corpusculorum modificationem efficiant, eadem quoque ratione in *corpuscula* & sua minima denuò abeant, quæ enim *συνθέσεως* primum, & *ἀναλύσεως* ultima sunt Principia, id quod per *Trans- & expirationem* contingit. Nunquam enim corpora crescere, augeri, nunquam etiam decrescere diminui desinant, nisi quod per *Transpirationem* factum fuerit, inde tot habemus corporum naturalium *mutationes*; & si vel maximè unum vel alterum accidens, una alterave Qualitas pereat, manet tamen aliqua sensibilis Qualitas superstes, quæ alterationis, cujus quam plurimæ dantur species, nomine venit; qui leviter non transmitti, sed Experimentis notari debet, & ex motu pulsu, & Contactu cognoscenda est, de quo paulo post, cum de modo acturi sumus, dicendum erit.

§. II.

Ad pleniorum Corporum Sublunarium naturalium constitutionem properantes, cum omnibus eadem divisio & nobis placet, in *quatuor Elementa* illa communissima, in *Ignem, Aquam, Aerem* atque *Terram*, quorum de diverso numero lites non movebimus; nec repudiamus *Chemicorum principia hypostatica Sal, Sulphur & Mercurium*, ex quibus sanè ut mixtis jam partibus, facile erit, corpus perfectè constituere mixtum.

§. III.

Ex his jamjam paucis cuilibet, ut puto, constabit, quid *Corpus* sit *Physicum*: Talis sanè structura, quæ ex naturalibus suis Principiis, uno passivo, materia sc. prima, seu atomis, altero, activo seu motu non solum, sed & ex compactis moleculis per certam modificationem motus, figura & ponderis, & mixtionem quatuor Elementorum perfectè mixtorum, perfectum constituitur & efficitur corpus, ut tamen iterum in sua resolvi posset Principia.

§. IV.

Quamprimum hinc corpora fiunt, statim esse desinunt; quod non ita intelligendum est, ac si planè destruerentur, & uno quasi impetu annihilarentur, sed quod aliquid ex se amittant, quod in sua redit rursus principia, quemadmodum ita possum dicere: *Homo dum oritur, moritur*. Hæc autem resolutio vel potius corruptio Corporum latior sic dicta prodit ex *Transpiratione Corpusculorum*; Nam unumquodque *Corpus mixtum physicum* continuò *exspirat & transpirat*, amittat particulas

culas minutissimas; solutæ hæc à corpore, in principia sua redeunt, prima inde per vocabulum hoc *Corpus*, cum adjecto, *Transpirabile* id intelligi debet: Resolutio nimirum particularum minimarum, non totalis cujusdam corporis integri, sed partialis.

§. V.

Divisibilitas in exiguas particulas miscibilium, audit apud *Aristotelem*, *Generatio mixtorum*, quod *Recentioribus* non displicet: quippe qui, & *Jacchæus* *Instit. phys. Lib. VI. c. 12.* & *Zeisoldus* asserunt, ad *mistiones* requiri *Elementorum* in *minutas partes* divisionem. Inde contrarium, seu Resolutio aliter isti expedire non possunt, nisi per miscibilium *Elementorum* alteratorum divisionem, ut enim mixtio corporum per heterogeneas *Elementorum* diversorum particulas sibi invicem variè permixtas fit ita, ut simul plures liquores inter se permiscentur; sic & Resolutio per *Transpirationem* *Corpusculorum* procedit; sparguntur heterogenea, hæc rursus separando colliguntur, ac diversis quidem modis videlicet, *exhalationis*, *putrefactionis*, & *Fermentationis* &c. expellit.

§. VI.

Causam verò *Transpirabilitatis* puto esse *miscibilium* *alterationem* & *qualitatum adversariarum* quandam pugnam. Verùm *Formam* ipsam consistere in *diffusione*, prout à *Ventis* *nubes* dissipantur, & *segregatione atomorum* à toto suo solutarum. Et hanc *Exspirationis* & *Transpirationis atomorum*, causam omnium mutationum esse, *Experientia ipsa* docet & *mecum* fatebuntur omnes *Physici*.

CAP. III.

De

Subiecto Transpirabilitatis
in *Specie*.

§. I.

Cum hæcenus de *Principiis* & *causis* corporis *Physici* dictum sit, nunc & de *subiecto*, seu *speciebus* corporis *Transpirabilis* agere mens est.

§. II.

Subiectum igitur *Transpirationis* est quodlibet corpus *physicum* puta *perfecte* mixtum, quod ex partibus maximè diversis, firmissimeque

B

inter

inter se nexis, est compositum, adeò, ut in illas, aut non, aut ægré queant
resolvi; cum ex aduerso imperfectè corpus mixtum illud sit, quod & in-
firma & instabili magis partium concretione ortum, cum prædominio
notabili alicujus *Elementi* impuri, in quod ideò facile est resolubile, ut
sunt *meteora*.

§. III.

Cum autem perfecte mixta corpora diversam habeant naturam &
constitutionem, sic & diversam descriptionem & enodationem requi-
runt.

§. IV.

Alia enim sunt *Animata* alia *Inanimata*. Animatorum alia *Vegetabi-*
lia ut *planta*, vel *sensitiva*; & hæc vel *Irrationalia* ut bruta animantia, vel
Rationalia, ut homo *Inanimata*, quæ corpus non habent organicum,
ut *mineralia*, *fossilia*, quæ à multis ad quatuor classes sunt redacta, sunt
succi concreti, quo *sal*, *sulphur* & *bitumen* &c. pertinent. *Terræ fossiles*,
Argilla, *Creta*, *Metalla* & *Lapides*.

§. V.

Animata & in specie *Vegetativa*: horum tres commodè ador-
nantur Classes, quæ eum sensu & Locomotiva destituantur, *Planta* di-
cuntur. Quæ autem his facultatibus instructa, sed mente carent, ap-
pellantur *bruta*. Quæ cum reliquis conveniunt, & ratione insuper
sunt instructa, *Homines* audiunt. Horum igitur perfecte mixtorum cor-
porum plurimæ sunt *Proprietates*, & admirabiles per *Transpirationem*,
(cum singula expirent corpora) edunt *effectus* & *mutationes* in aliis,
quæ tangunt & afficiunt, corporibus; horum autem *phenomena*, nullo
alio modo nisi ex atomis possunt resolvi.

CAP. IV.

De

Modo Transpirabilitatis Corporum
sublunarium.

§. I.

Subjectum *Transpirabile* nunc vidimus: Restat ut etiam *Modum*, bre-
vissimis indagemus, quo aliquid nascitur & fit. Verissima enim viden-
tur, quæ ab antiquissimis jam, ut supra monui, temporibus *Phœnicensi-*
bus

bis notissima fuere; non sufficit, provocasse ad Corporum *Sympathiam* & *Antipathiam*, sed demonstranda sunt, unde hæc eveniant, dantur enim corpora solida, ex variis particulis constructa crassiora, quæque in sensus incurrunt, ut ex aquâ ascendentes cernimus vapores, ex Terra exhalationes, ex plantis, effluviis egressis nares afficiuntur, quod & de *animantium humanorumque* corporum constat *atmosphæra*, maximè sensibili.

§. II.

Sed dantur & subtilissima & fluidissima, quæ alias à Cartesio, materia primi Elementi dicitur, nullis poris prædita, quæ cæterorum corporum spaciola occupant, minima, cum dispersa sint per totum mundum. *Hæc corpuscula* in sensus non incurrunt; rationi tamen ex effectu non sunt occulta, & hæc potissimum sunt, illa *clavis nature*, quam hæctenus quidem à priscis illis *atomistis* acceptam, ex negligentia verò & contemptu perdididerant. *Recentissimi* autem *Nostrates Qualitatum occultarum* indefessi scrutatores, iterum invenerunt.

§. III.

Has atomos nonnulli *Spiritum* esse quendam putarunt, sed perperam; Nam, sunt *corpuscula divisibilia*, & ex uno pelli, in alterum impelli possunt. Ex quibus partibus autem constent, quæque gaudeant figurâ, ultra limites intellectus mei esse censeo, quâ de re tamen legi potest disputatio sub præsidio Excell. Dn. Hardtii habita, de *Corpusculis*.

§. IV.

Exinde autem non sequitur illud ipsum, quod Sensibus respectu interioris constitutionis non obvium & rationi non evidens sit, esse planè imperscrutabile, sic enim *Metallorum effluvia*, *pori vitri*, paradoxa forent, quod absurdum & *Experientiz* rerum omnium magistræ contrarium est.

§. V.

Sed ad ipsum *Modum Transpirationis*, ut propius accedam persuasus sum, *Transpirationem Corporum* fieri per *motum*, & hunc per *pulsionem*, seu per impulsum alterius corporis à tergo movendi existentis. Nam si quis morbo quodam laborans alterum afficit, corpuscula gravitate aëris à Tergo impellentis, commixta cum corpusculis ex corpore maligno egressis, intrant spaciola & poros, & quoniam ex heterogeneis

conflatæ sunt particulis, destruunt, pellunt & expellunt alia, ex qua deinde pugnâ *Infectio, corruptio, & putrefactio* suboritur. *Attractio* vero & *pulsio ææris* quomodo ea fit, cum folle & Siphone aliisque Experimentis, in propatulo est.

§. IV.

Causa autem principalissima *pulsionum & motuum*, alia omninò non est nisi *DEus*, coram quo, Corpora Naturalia meram habent potentiam, passivam ut adeò nullus *Spiritus*, nulla *substantia*, *activitatem* corporis fabricare valeat, nisi operetur hic *motor omnium summus & primus*. Huius *Spiritus* totus mundus plenus est, ut recte & *Pythagoras*: *DEum esse centrum, quod ubique, cujus autem peripheria nullibi*. Et id efficit omnipotens illud Numen per solum verbum suum efficacissimum; hic enim vult, ut quodvis corpus seu quævis corporis particula impetum in aliud exercent, & *transpiret*. Hic voluit, ut cujusvis corporis, pro singulari materiae figurâ, magnitudine, nexu, varii motus, operationes ederent, quò infinita ejus Sapiencia à creaturis suis deprædicaretur.

§. V.

Talis *Dispositio si simplex*, ut in mixtis corporibus, dicitur *Mechanismus*, si magis compositus, *Organismus* audit.

§. VI.

Quæritur; Quomodo *DEus moveat Corpora*? Responsum hanc recte pronunciant: per certa media, quæ posuit, illud efficere & in motu conservare. Placuit Sapientissimo, ut solida *corpora* moverentur per fluida; omnisque corporis *motus* dependeret ab alio corpore extrinseco, deinde tenuissimo *fluido disperso* per totum mundum, indidit *celeritatem & agilitatem* summam, quæ agit in corpora, quorum resistenciam vincit. Sic successive, *actio & reactio corporum* per hoc universum propagatur, ut pro singulari materiae dispositione diversissimæ operationes producerentur.

§. VII.

Et hoc quidem verum manet, quod *intimum Qualitatum occultarum*, quo corporum *Transpirabilitas* spectat modum, h. e. à priori indagare non possimus; sed sufficit in causas adhibitâ ratione acutissima, inquisivisse & à posteriore, h. e. ex Experimentis, methodo veluti analyticâ, observanda, observasse. Cujus autorem *DEum* veneramur,

Δεῖον

Δείον divinum jam *Hippocrates* cognovit & agnovit. Observavit enim, jam aliquid divini in Corporibus, sine quo omnis rei creatæ Machina & structura destructa videretur; vide, quæ prostat disputat. de divino in medicina. Omnes autem *Qualitates*, huic, isti, illi, rationi inperve-
stigabiles, intactas relinquere, existimando, omnibus divinum quid in-
esse causis, propter quod inveniri nequeant *Corporum Phænomena*,
rationem non video, nam præstat *Mechanismum* adhibere, h. e. quo ex
causa proxima varios effectus, phænomena & operationes deducere va-
lemus, qui fit per actiones varias pro diversitate materiæ vario modo
dispositæ.

SECTIO POSTERIOR

DE

CORPORUM SUBLUNARIUM TRANS- SPIRABILIIUM OPERATIONIBUS & PHÆNOMENIS.

Præloquium.

§. I.

UT autem propius ad operationes, & phænomena ex *Atomologia* e-
nucleandas, accedamus; Nemo inficias ire poterit demonstratis
demonstrandis, quin nullus Effectus produci queat, nisi ad *subjectum*
aliud tangat *subjectum agens*, hoc autem fit, mediantibus *corpuseulis*
per *Transpirationis* viam operantibus. Ad huncce autem novum ve-
luti rerum *physicalium occultarum mundum*, viam feliciter adinvenit
Robertus Boyle, & ex atomis detexit, qui modum tam diu sub nebulis
occultarum Qualitatum absconditum, sole meridiano & clariorem red-
dere sedulò laboravit; imò jam perfecit, ut videre est ex *Observationi-*
bus, quem secutus *P. Lana*, qui nisi justo citius mundo valedixisset,
multa in hoc labore perfecisset, quod testatur opus cui titulum fecit.
Magisterium Artis & Naturæ vid. *Boyle* in *Experimentis phys.*

§. II.

Dum autem nunc in demonstrandis *corporum Transpirabilium*
Operationibus & phænomenis erimus occupati, prius cum *Kirchero* di-
cendum puto: In rebus *physicis sine Experimento philosophari*, idem se-

B 3

sa

se, ac si cæcus de colore Judicium ferre, insipientius præsumeret. Mundo subterr. Lib. X. c. 3. pag. 188. Equidem Experientiam operationum hujuscemodi, ipse mihi arrogare non possum; Interim ex *Experientis Virorum Observationibus & Operationibus* satis constat, mibique ipsi *Experimento* esse sæpissime deprehendo, unde *Transpirabilitatis effectum*, omnibus momentis observare aliis in corporibus potui, & adhuc observare possum.

§. III.

Incipere quidem fas esset à facilioribus, h. e. à *Mechanismo crassiori* contendere ad *difficiliora seu subtiliorem*, quorum ille magis insensus incurrit & qui observatur in *Macrocosmo*; sed ob accrescentem materiæ disputationis congeriem, magis ad *Subtiliorem* me conferam, qui maximè abs hodiernis *acutissimis philosophis* sub Examen venit, & ex Experimentis rationi patet.

§. IV.

Hæc autem adhuc præsupponenda videntur, quod in utroque *Mechanismo* secundum vulgarem Physicorum canonem *nihil agat in rem distantem, neque frustra quid elaborandum suscipiat Natura*. Hanc viam, ut supra jam dictum *Phænicensium Moschus*, quem putant, post eum Leucippus adaperuerunt; quam dum Barbari illi Philosophi deseruerant, in bivia collapsi, ut ea, quæ altioris indaginis, rationem autem non excedentis, diabolicæ artis effecta pronunciare ausi sint; sed quisnam prudentiorum hodiernum conspirat? Quo fundamento alio nititur *Cartesius* quam hoc? quando præ se fert, materiam subtilem, si vel maximè *Sperlingius* eam invenire non potuit. Unus & idem est *Mechanismus*, licet modus, qui vel in occulto vel in aprico operatur, variet.

§. V.

Organa rationis nostræ satis crassa sunt, quod non negari potest, ut mirum non sit, *modum Transpirationis* difficulter nos assequi; hoc tamen invictum manet, quem *Mechanismum* in *mechanicis crassum* oculo corporis perspicimus, eundem sed subtiliorem in *corporibus Transpirabilibus* credere oportet. Vulgus credit, exorta aëris temperie nebulosa omnia aëris spacia aqueis referta esse corpusculis, & credere eum oportet. Deprehendit enim, quæ circumfert, humectare; sed *v. c. averseationem felium* eodem fieri modo, quod sensibus res videatur

tur

tur remotissima, paucissimi credunt; nam ut in *aëris atmosphaera*, *volumen humectantium atomorum*, quæ maximum circa corpora *sublunaria* spacium replet, maximè agit: Sic *volumen exhalationum subtilissimarum* etiam in illis corporibus datur, quorum activitas, quousque tendit, post se relinquit *per contactum* (ut vocant) hunc effectum, ut acum in *magnete* tangat & vertat, *aër* enim *vehiculum* est, quo mediante agens ad corpus patiens transfertur.

§. VI.

Hic & mechanismus, est in corporibus *sympatheticis* & *antipatheticis*. Nam non sufficit, *sympathiam* ita descripsisse: *Esse consensum, conformitatem quandam naturalium proprietatum, quæ, ut duo objecta, reciproco veluti amoris nexu in unum redacta, amabili quâdam tranquillitate frui possent, efficerent*; sed unde iste consensus oriatur, quæstio est. *Philipp. Melanchthon* ad scopum propius aliis, collimare videtur, cum *virgulæ divinatoriæ* *sympathiam* cum metallis ex his *mineralibus* describit, existimans, *radices virgulæ, succos ad se trahere metallicos*, inde *augeri & conservari* sed manca etiam causæ est descriptio.

§. VII.

Quilibet igitur meam percipiet mentem, cur mihi sermo sit de *corpore Transpirabili*, ut nimirum *latentes ex Phænomenis Cause*, per atomos eruantur, & demonstretur, quod *corpora* sint, & cur dicantur *Transpirabilia*. Includum autem hoc *corpus Transpirabile* invenio, *Triplici illi Regno, Mineralium puta: Plantarum, & Animalium*. In quæ ut intrare valeamus, eadem *doctrinâ corpusculorum*, uti poterimus.

CAP. I.

De

Corporum Transpirabilium Phænomenis
in Regno vegetabili obvis.

§. I.

A *Plantis* autem, primùm, quamvis, in antecedenti paragrapho medium illis tribuerimus locum, nunc incipere placet; reliqua verò deinde quoque tractaturi ita, ut, quæ ex *Regno mineralium, de Transpirabilitate* erunt observanda, ultimò proponamus.

§. II. ER

§. II.

Est autem *planta corpus vivum, cortice, fibris, radice, caule, aliisque particulis organicis constans, ut quasdam partes perditas restaurare, & multiplicare valeat. Indeque animam vegetativam, & animati nomen concedere illis, hoc ævo necessum esse putat Sturm. Physica conliatr. cap. 2. de plantis §. 1. p. 254. Recentiores tribuunt ignem tenuissimum τῆς ἐμψύχου καὶ διαπύκτων διηκτικῆς θερμότητος*, i. e. *animantis & omnia permeantis caloris, quâ de re videri potest Thomas Willisius de animâ brutorum cap. II. referente Sturmio.*

§. III.

De hoc igitur *corpore vegetabili* quod ità sit comparatum, ut ex professo de ipsò scripsere *Marcell. Malpighius, Nehem. Greiv in anatome Plantarum, compendiosius du Hamel. Phys. general. part. II. Tractat. 4.* satis etiam manifestum est, quod *transpiret*, & inde tueri nomen, quod dicatur *corpus Transpirabile*, h. e. quod suas per poros emittat exhalationes, id quod percipit maximè quilibet tempore verno, cum flores crescunt, nam *odor*, quid est, qui nares afficit? sunt sanè exhalationes, ex hoc corpore effluentes, aliquid de essentiâ secum afferentes. *Causa autem, ut homo percipiat odorem, fit per Transpirationem; mediante enim aëre, qui particulas & corpuscula eò pellit, abs homine per respirationem ad nares eæ transferuntur, unde odor; cujus ortus itaque non ignotus est, & quasi manibus apprehendi potest, causa hæc est, ob quam macilenta & exsiccata evadunt corpora hæc vegetabilia, quod maximam atomorum partem amiserint. Sic & cum reliquis his corporibus res se habet.*

§. IV.

Peregrinantes, qui *Iter in Italiam instituerunt, referunt, prius quam fines attigissent, jam se percepisse odorem malorum Cytreorum aliorumque fructuum; & qui, versus Orientem in Indiam tendunt, odorem Cinnamomi sensisse, perhibent, ex Insula Ceylon illis obvientem. Ita esse omnino & nos persuasi sumus. Hæc enim aromatum specie, refertissimam esse Insulam, refertur: Addunt illi. Quadraginta miliaria & plura se abfuisse. Et hoc largimur ambabus. Nam maxuma effluviarum aromaticorum multitudo permeare illum aërem facilè potest; & licet dispersæ in isto sint atomi; tamen retinent illam, ex quo egressæ qualitatem & essentiam. Hæc sanè est maximè notabilis in corpusculis hisce,*

isce,

scē, & primaria *qualitas*: quāam altera, non minor hāc, excipit. In eo autem consistit: *Inter se eo modo diversa esse, ut corpora, unde emanarunt, diversa inter se sunt.* Adde & hanc *Similes edere Operationes in corporibus, quales corpus edere solet, unde fluxerunt.*

§. V.

Prius constat, ex hoc Experimento crassiori: In Thermis, ubi aquæ, sulphureis particulis prægnantes sunt, ex evaporatione, Tegmina Sulphure solidissimo obiecta, conspiciuntur. Quod Nebula, ex terræ visceribus prodiens, Ros & pruina &c. sunt, nisi *atomi aqueæ*, quæ à frigore circumambiente condensatæ, in guttas coarctantur & propter pondus decidunt.

§. VI.

Proprietas atomorum altera, specialior, probari potest, ut arbitror: Ex canibus venatorum, qui, vestigia dominorum suorum, quærentes, huc vel illuc currunt, & cum obviant illis alienæ, sibi ignotæ atomi, has relinquunt & illas appetunt, usque dum inter mille hominum invenerint suum dominum.

§. VII.

Tertia, quam posui, proprietas, multis probari posset Experimentis & Phænomenis, nisi limites circumscriptos excedere, & circulos nimium multos quasi excursuum ducere vellem. Adducam hoc unicum, quod nemo in dubium vocare potest. Coqui & coquæ, cur non tam fervidum ad cibos sumendos præ se ferunt appetitum, quem alii esurientes, cur? Quia atomi maxima in copia, nares & corporis poros ingrediuntur, secum portantes aliquid de corpore, unde egressis, saturari sensim, quid dubitem? Immo meum ipsum mihi exhibet corpus experimentum, quod dispositum ingruente madidâ aëris temperie & adhuc grassante, invenio & sentio sensibiliiori fortassis modo, quam aliorum corpora. Tota aëris atmosphaera, imprægnata est aqueis corpusculis, per poros illa transeunt, turbulentos reddunt humores, conciliant gravedinem, aliaque symptomata & catarrhos.

§. VIII.

Et hunc etiam Mechanismum habent illæ plantæ, quarum qualitates & virtutes difficilioris videntur esse indaginis v. g. de Mandragora herbâ, ut vocant, dicunt; Quod si quis de radice ejus aliquid comederet, mortem sibi acceleraturum. Vide Levinum Lemnium in

C

Expli-

Explicatione herbarum biblicarum Cap. 2. & Boyle Tractat. de *Natura determinata effluviis*. Quæ causa, cur Heliotropium solem aspicit, sanè alia non erit, nisi hæc; Sol radiis suis, partem herbae, quam afficiunt radii, exsiccat & exsugunt quasi humida corpuscula, quo fit ut caulis, ex eâ parte brevior existat, & se incurvet. Idem est & Mechanismus cum herba *Bozizar den Monden-Kraut* / & quod Romæ aliquando aviculæ ad assandum veru affixæ, ad ignem admotæ externâ nulla vi, vel manu adhibitâ, inceperint sese circumvolvere. Kircherus hoc Phenomenon obtigit, qui, ad primum statim intuitum, causam invenire non potuit, tandem ad *atomos* rem devolvens, detegit hunc in modum: *Ignes atomos permeasse poros veru ex ligno confecti, cuticulas ligni adeo gyrasse regyrasse & fregisse, ut ab his, circum volvi & torqueri gyrovagis, videretur veru.* Quæ causa arboris pudibunde det scham-haftige Baum dictæ? Ideò, quod si propius ad eam quid accedat, ramos & folia ad se quasi colligat, nec prius expandat quam homo aut aliud animal discesserit. Quæ causa, quod *Herba in Bengala & Ceylon*, ut referunt Itineraria, certa reperiatur, quæ, vi quadam & pulsa è manibus lignum extrahat. Sic & Herba illa *Mimosa* dicta exarescit, si quis manum admovet, efflorescit, si dimovet, sic & res se habet cum herba *Æschynomene* de qua *Apollodorus* item de *Amianto & asbestino*, de quâ herba *P. Martinus Martinius* prolixè in *Atlante Sinico* Præfat. pag. 22. & *Kircherus* in *China illustratâ* agunt. Horum sanè corporum transpirabilium vegetabilium Phenomena feliciter ex *Atomis* detegi possunt.

CAP. II

De

Corporum Transpirabilium

Phenomenis,

In Regno animalium ratione destitutorum,
obvenientibus.

§. I.

HÆc corpora sensitiva animalia, quia gaudent corpore organico, principio materiali, vitâ & facultatibus, ex animæ cum corpore, unione resultantibus; tot inde mutationes & operationes eveniunt, quot horum species, dantur, de quibus in compendio egit *Johann. Greydanus* Instit. Phys. Lib. 9. c. 1. & 2.

§. II. Præ.

§. II.

Prædicatum hoc, quod corpora & *Brutorum* vocari possint & *Transpirabilia*; id nemo iterum negabit. Equus ad cursum incitatus, vehementer *transpirat*, adeò ut pinguisimæ ex corpore exhalationes ignem excitent, qui tempore noctis, equorum capillis supersedet. Et cum perpendimus, totam eorum machinam, quæ partium inter se commixtarum *Συμμετρία*, compositio, consensus, conspiratio & Sympathia intercedit, satis mirari non valemus; quorum Phænomena examinare hic non vacat. Leg. Viri *Experientissimi D. Ettmülleri disput* quæ exhibet *corpus humanum sympatheticum*, nobis hic potius de motibus contingentibus, & quæ insensibiles & imperscrutabiles alias videntur esse qualitates, sermo est.

§. III.

Quod *Joh. Baptista de la Porta* scribit: *Taurum indomitum, mitem fieri per Sympathiam si ficui alligaretur, & Elephantem, conspecto ariete, iram deponere*, id arguit causas, deducendas esse, ex *Transpiratione corpusculari*.

§. IV.

Cornelius Agrippa asserit: *Inextinguibilem inter Scorpionem, & Crocodilum, inter Elephantem & porcum, inter Gallum & Leonem, inter Corvum & Lacertam, Lupum & ovem, bufonem & mustelam, bufonem & araneam intercedere inimicitiam, ut ita loqui liceat, & averfationem. Hieronymus Cardanus per antipathiam fieri, asserit, quando cauda Lupi in bovili affixa hæret, vaccas fœnum non appetere nec devorare. Vulgus statuit, inter gallum gallinaceum & auroram intercedere sympathiam, id quod per cantum & corporis letabundum motum indicaret. Quæris causam? Cicero à Democrito hanc esse assertam, pronunciat; fieri nimirum per divisiones materiæ subtilis, quæ noctu ex rore effluxit, & in fibras, musculos Galli influxit, ex quibus, cum vires suas Gallus sentiat restitutas, fieri, ut letabundus cantaret: Democritus quidem (sunt verba Ciceronis) optimis verbis causam explicat, cur ante lucem galli canant; Depulso enim de corpore, & in omne corpus diviso, & modificato cibo cantus edere, quiete satiatos, de divinatione l. 2. n. 57.*

§. V.

Sed quænam Causæ *Φαινόμενων* ex averfa pagina recensitorum? Respondetur: *atomi*, ex suis corporibus mixtis effluunt v. c. ex aqua aqueæ; hinc fit, ut ad ripas fluviorum positæ arbores se incurvent, & ad

aquam inclinent; ex igne, igneæ; hinc meteora, de quibus male persuasa est plebs. Draconem e. gr. vocant, quo Satan involutus sit, quando igneæ partitulæ in aëre conflatae, & à frigore coarctatae super caminum volitantes, à pabulo suis partibus homogeneo, attractæ, per fumibulum in culinam transcendunt; ex aëre, qui prægnans aqueis particulis, quæ ingrediuntur corpora, ut inde mutationes pronascentur & propullulent. Hic & *mechanismus* est in *sympathia* & *antipathia*, quæ intercedit cum animantibus. *Atomi*, scilicet corporum, quæ inter se correspondent, per *Transpirationem* & *Respirationem insensibilem*, poros immeant, unde fit, ut simile simili gaudeat, & bruta sui similis præsentiam appetant. Eadem vis est in *antipathia, abscondita*, ubi heterogeneæ invicem particulæ se divellunt, corradunt, destruunt, ut inde averfationes & disensiones, exsurgant.

§. VI.

Hic igitur processus & *Mechanismus* unicus est, in resolutione horum omnium *Φαινόμενων*, quod expressis etiam verbis *Kircherus* asserit. *Naturæ clavis una est, quam is solus, qui in materiis dissimillimis, unitatem complectitur.* de *Magn. nat.* Sect. I. c. 3. p. 12. cum hoc consentit quoque, quod per *Effluvium* & *fluxum* materiæ subtilis, quæcunque virtus *sym- & antipathetica* occulta fiat *P. Schottus*: *Causam sympathie oriri plerumque ex amissione tenuiorum quarundam exhalationum, quas diffundi, à multis corporibus certum est: Mag. Sympath. Part. IV. Lib. 4. Synt. I. c. 3. p. 367.*

CAP. III.

De

*Corporum Transpirabilium Phænomenis
in Regno animalium rationalium obve-
nientibus.*

§. I.

JAM ad *Φαινόμενα*, quæ corporibus animatis rationalibus contingunt, spergo. *Descriptio* autem hominis in eo fita est, quod nimirum dicitur: *Animal esse rationale; quod, quemadmodum plantarum vitales proprietates, in Brutis, sic & quod in utrisque deprehenditur, id omne homini inesse, censeri debet, hoc peculiare tamen possidet, quod in corpo-*

re

re ipsius organico, mens resideat, substantia illa cogitans, ex quo *Renés Cartes*. Se esse, & quidem distinctum à cæteris rectè putat, inquiens: *Ego cogito: Ergò sum, subintellige, animal rationale.*

§. II.

Nos iterum hoc loco, non sumus solliciti, de *Operationibus Intellectus & Voluntatis*, qualis inter has consensus intercedat, neque de cogitante illa substantia, an *Spiritus?* an *materia tenuissima?* quâ de causâ maximæ altercationes fuerunt ortæ, nec etiam de *animæ & corporis organici sympathia & symmetria* quo connexa sunt membra vinculo. De quo iterum v. *Excell. D. Ettmull. Disput. de Corpore hum. Symp. §. 32.* Sed corpus examinare hominis *physicum*, & quidem ut *Transpirabile*, hujus satis ut puto causæ, ex hæctenus dictis constant, hic effecta tamen nonnulla examinare & demonstrare lubet.

§. III.

Corpus hoc hominis *Transpirabile*, impressionibus & imaginatio- nibus maximè subjacet, ex quibus mirabiles prodeunt mutatio- nes & effectus, de memetipso mihi constat, medicamentis uti volens, operationem jam sentio, cum nondum medicamentum aspexerim l. te- tigerim, impulsum atomorum tum vehementem tamque efficacem per- cipio, ut dubitem inter plures naturarum constitutiones cum mea con- spirare unam. Sed quæso, quæ causa? provocabant nonnulli ad *Phantasia*, ad *impressionem*, sed non sufficit hoc dixisse; quæ- ro enim quæ causa, quæ ratio, cur *phantasia operatur?* Ex *atomis profectò & Corpusculis transmigrantibus è corpore per Transpirationem* in corpus aliud, difficultas tollenda est.

§. IV.

Phantasia quidem, quando objectum ingratum cognovit, appe- titum movet, impellit ad fugam, & exercet humores: hinc & *Spiritus* moventur per *fluxus & refluxus*; inde operationes & impressiones; qua- de re v. *Sennertum de consensu & di s sensu c. 4. & B. D. Ortlob Disfert. 33. de Oeconomia Animal.*

§. V.

Extra corpus, ex ipso tamen in alia per *Transpirationem factæ, mu- tationes*, innumeræ sunt. Quæritur, quæ causa, quod *sani parentes* utcumque *sanos, morbofi, valetudinarios* generent, quod *mater* tales ex- ponat *filios*, qui adulti facti *lupinum præ se ferunt appetitum* adeò fer-

vidum, ut *feles, panes integros, Vitrum & lapides devorent*, quod creditu impossibili esset, nisi, non ita pridem, talis *Lapidivores, & felivorax* nostris omnium fermè oculis obversatus fuisset, qui, quod & meis hisce oculis aspexi, res planè inconvenientes devorabat, & concoquebat; de lapidibus audiebam ipsum asserentem, minori, quam cum devoraret figura, illos edere solere. Non abs similis videtur ei, ille *Vitrorax apud Borellum cap. 2. observ. 152.* Nec desunt subinde alia non ignota exempla.

§. VI.

Horum *phenomenorum* Causæ, sanè *naturales* esse, & pro diversis Spirituum motibus, qui objecta diversimodè repræsentant, fieri, nemo negaverit. Illi Spiritus foetui imprimuntur, ut inde talis prognoscatur foetus & effectus. Ipse *felivorax* narrabat: *matrem, cum eum gestasset in utero, lupo dilanianti ovem, obviam factam, appetitum sensisse de ove comedere, lupo depulso id fecisse; quo factum, ut talem exposuisset, qualem se nostris nunc exponere rogeretur oculis.*

§. VII.

Profectò *corpuscula, ex insatiabili illâ bestiâ emanantia* cadaveri inhæsitantia, per esum mater prægnans in corpus jam dispositum immisit, quæ sua, ex quo egressa, corporis naturam & proprietates retinuerunt; Inde tales nunc edit operationes, sed cum dolore animi & querelis infelicissimi fati homo.

§. VIII.

Illud & *Phænomenon* eodemque modo explicandum venit: quando *infans matrem* ad lactandum in altera tamen domi parte absconditam, per ejulatum advocat, per *Transpirationem atomorum* ex corporibus utrisque egressarum id efficitur, infanti qualitates matris ex utero veluti notæ sunt; ex corpore matris *exspirant*, in infantis *transpirant*, sui-que simillimum quid inveniunt, & per contactum eam appetendi vim faciunt.

§. IX.

Non vanam persuasionem puto eorum, qui magnam visui esse efficaciam, die *Augen wären sichtbar* statuunt. Nam per *Transpirationem malignarum atomorum*, cur non contingere possit, quin oculus pravis scattens humoribus, emittat corpuscula, quæ, cum acutissima & acerrima sint, tenerrimas oculorum fibras, & cuticulas afficiant offendantque ut oculus dolores sentiat, & ipse vultus lineas ducat deformes.

§. X. Quæ-

§. X.

Quærat etiam aliquis, unde inclinatio, & studium complacendi, amor ille fervidior, quo non nullos, primo statim conspectu amamus & quicquid tales agunt, bonum & pulchrum nobis videtur, vice vero versa alios naturali odio prosequimur. Martialis quidem canit

*Non amo te, Volusi, nec possum dicere, quare?
Hoc tantum possum dicere: non amo te.*

vel:

Il est des noeuds secrets, il est des sympathies
dont par le doux accord, les ames assorties
s'aiment & l'une & l'autre, & le laissent piquer
Par ces le ne say quoy, qu'on ne peut expliquer.
Es ist/ ich weiß nicht was/ ich kan es auch nicht nennen
Ein solcher sanffter Zug/ der gleiche Seelen bind/
Daß mit Vergnügen sie/ und Lust beysammen sind
Und niemals anders sich als nur mit Schmerzen trennen.

Sed quid ni, hocce vinculum, oculo mentis absconditum, per illam naturæ clavem i. e. ex atomis resolvi possit? Et idem *mechanismus* adhibetur, in illis *phenomenis* perscrutandis, quando quis sua præsentia & tactu morbos de pellere virtute aliqua præditus, potest, ut Borellus cap. II. observ. 90. de *Vespasiano Roman. Imperatore* refert, qui *sola præsentia Ophthalmia* medebatur, & notissimus est *Regius ille Tætus strumas curans*, qua sanandi virtute *Reges Gallia, Britannia &c.* præditos perhibent; de quo *Gramondus* Lib. I. p. 19. Quæ quæso ratio, quod formosissimæ puellæ, sæpius deformes *ament* pamphilos, quæ causa hujus *sympathia*? aliam sanè non subesse rationem, quam ex *atomis* & harum *Trans- & respiratione*, quam etiam sanior & politior admittit ratio.

§. XI.

Hac etiam clave, uti posse videntur, qui suos *circulos dispositio- num genethliacos* ducunt, remoto tamen omni abusu, & superstitione astrologica. Verùm est, Corpora illa in macrocosmo pariter ut in microcosmo, *Transpirabilia esse corpora*, h. e. gaudere suis *atmosphæris*, & effluvia emittere, quæ agunt in sublunaria, nisi immediate, tamen mediante, qua cingimur *atmosphæra*. Astrologus non superstitiosus & im-

& impressionibus fascinatus anilibus, ex constitutione cœli, & ex efflu-
viis corporum cœlestium, quæ non nimis remota sunt à Sublunaribus,
prædicere naturales quasdam mutationes valet. Enim vero prædica-
re, eum, qui supra Horizontem in domo cum nasceretur cœlesti, habebat
Martem, necesariò hominem bellicosum & militem evasurum, es, talia
alia clavem ad ea, occulta nostra physica nullam possidet.

§. XII.

Subtilissimus sanè Naturæ, ille est *mechanismus*, quo mediante
Virgula divinatoria, quæ homicidas detegit *mysterium*, enucleatur, de
quâ, occasione facinoris crudelissimi *Tractatum* scripsit *autor* quidam
anonymus cui Titulum fecit: *Occulta physica der heimliche und un-
erforschliche Natur. Ründiger* qui refert, Anni 1692. die 5. Jul. *Lugduni
Gallorum* cauponem in cella cum uxore occisum fuisse, homicidas tan-
dem ab *agresti* quodam, ex *Delphinatu oriundo Jacques Aimar* vocato
ope virgulæ divinatoriæ inventos fuisse, atque causam ex *Transpiratione*
deducit.

§. XIII.

Ut hanc rem tribus saltim attingam, triùm corporum causæ exa-
minandæ sunt, primum est, *virgula divinatoria*, cui vim & efficaciam
expirandi & respirandi nemo denegare potest, quia inclinatur ad *metalla*
& ad *fontes*, sed simpliciter etiam hanc *qualitatem*, illi nemo tamen
adscribat, ut inclinatur ad *occisores*, quia *subjectum*, quod illam manu tra-
ctat, debitam habere debet corporis *dispositionem* ad hunc effectum pro-
ducendum. Jam refert, ille *anonymus*, cum rusticus in cellam in qua
facinus patratum erat, intrasset, deprehendisse in se præter naturalem
statum, febrilem veluti insultum, virgam cum vi aliqua sese inclinasse ad
locum. Si res ficta non est, aut etiam naturaliter contigit, quæ causa est.
Uti videtur, *Corpuscula occisorum* quibus infectus & circumductus est
occisor, præsentem illo, tam violento agitabantur motu, ut, cum corpus in
sphæram arctivitatis pervenisset, corpuscula in sanguine latentia, violent-
er moverentur. *Potest aliqua adhuc fieri colluctatio, inter occisi Spi-
ritus in sanguine superstites, & appellentiam ab occisore Corpuscula* iis
consimilia, quæ occisionis tempore, *herrorem incusserunt* Gassendus *Phys.
sect. 1. libi 6. c. 14. p. 433.*

§. XIV.

§. XIV.

Modo non alio, quam quo *laniones* abhorrent *porci*, item *canes*, *interfectorem canum*, hæc *antipathia* & *aversatio ex corpusculis*, ex *corporibus* egredientibus, ortum suum ducit. Vestibus enim adhærent atomi animantium, quæ nuper occisa erant, & quia per violentum motum hæc *corpora* agitata fuerunt, intrant in *poros corporum animantium*, & afficiunt ea, ut ex disimilitudine particularum sentiant ad versum & naturæ suæ, quod contrarium est, & quod violento agitatum est modo. Obi-
cis: *ἀτόμους*, efficaciam suam amittere, Respondeo, probari potest, quod atomi nunquam pereant, & semper aliquid suæ naturæ simile post se relinquant; feræ transitus relinquit per multos dies corpuscula gramini-
bus inhæsitantia, quod inde liquet, quia canes in illo loco subsistunt, & latratus edunt. Siquidem, inquit P. Lana: canes illi etiam elapsa die integra, à transitu feræ ab estuviis illis afficiuntur, quæ ter-
ræ vel gramini inhæsere, tam brevi tempore, quam erat illud, quo feræ transibat. De Motu transpirat. L. 7. c. 2. prop. 3. pag. 55.

CAP. ULTIMUM

De

Corporum Transpirabilium

phenomenis

In Regno Mineralium

obviis.

§. I.

Ultimo denique loco ad *Corpora Mineralium Transpirabilium* pedem promoveo, quæ ex eodem, ut præcedanea, fundamento, ita nominari debent. Difficilior autem in his est *mechanismus*, quam in iis, de quibus hæctenus diximus.

§. II.

Nam sunt corpora perfectè mixta, & partes firmiter inter se nexas, magisque durabiles habentia. In tres communiter abeunt classes, prima habet *succos concretos*, altera *terras minerales*, tertia, *metalla*, quarta *Lapides*, qui vel *preciosi*, vel *mediæ virtutis*, *marini* & *vulgares* depre-

D

hen-

henduntur, de quorum singulorum natura & proprietatibus hoc loco agere non vacat. Noster scopus est demonstrare, præprimis etiam Metalla *transpirare*, & suos producere *effectus*, suasque habere *operationes*.

§. III.

Medicos in arte medendi & diætetica, maxime juvat, clavem *natura* hanc posse adhibere, quæ arte chymica, & culinari præparata, in corporis nutrimentum cedunt, vel pravos humores alterant, vel educunt, vel ita afficiunt corpus, ut aut destruat, aut in pristinum iterum restituatur.

§. IV.

Operationem & efficaciam, plus quam optant per *transpirationem* factam *sensibilem*, percipiunt Metallorum foffores, quorum macilentæ sæpe facies, & invalida corporis constitutio, evidens *Transpirabilitatis* malignæ est argumentum. Nam, licet poros *mineralium* & in specie *metallorum*, oculis perspicere ob densissimam corporis texturam & fabricam non valeamus, interim tamen sunt ejusmodi subtilissima corpuscula, quæ *metallorum* afficiunt & permeant poros.

§. V.

Quis crederet *Adamantem*, *Marmor*, *Rubinum* &c. habere *atmosphæras* subtilissimarum materiolarum; Et tamen R. *Boyle* eas observavit in *Tractatu de atmosphæris Corporum*. Unde est, quod aliqui in officina, ubi cuditur moneta, diu persistere non potuerint? inde est, quoniam effluvia *metallorum* celerrimum habent *tactum*, ita, ut etiam *facultates sæpius* animæ periclitentur. *Tractatione metallorum* apoplecticum hominem efficiunt; exhalant enim ex his, & circumquaque feruntur *insensibilia* corpora. *Fracastorius* de *Contag.* Lib. 1. c. 7. *Oudeilius Nobilis* Suecus asserit, cuprum tam largiter *exspirare*, ut adhibita aqua coeruleo colore tincta, cupreum & rubicundum à corpusculis cupreis per *transpirationem* & *impresionem*, colorem acciperet.

§. VI.

De *Magnete*, quod vim attrahendi ferrum habeat, nemo dubitat, & nautæ perspectam maxime habent *virtutem* illam *sympatheticam*, cum
polis

polis mundi. Res intricatiōr est, & haftenus inter occultas relata qualitates, sed quærenda clavis in doctrina *corpusculorum insensibilium*, ad stipulante Renato D'Escartes, ex cuius demonstratione & hanc meam expedio.

§. VII.

Terra nostra est *magnum* illud *Corpus Transpirabile*, quod materiam valde subtilissimam exspirat, & dum ipsa magnes aliquis magnus est, continuò exspirat, & quidem subeuntem circa unum polum septentrionalem, & exeuntem circa alterum australem. Hæc *materia*, corpus in terra delitescens, magnetis vim habens, pervadit, ac semper motum illum continuando poros illius, ita disponit, ut magnes conformes polos & axem terrenis sortiatur, quod si igitur extra terram constituitur isthic lapis aliter atque situs erat intra Terram, striata materia velociter Transitum molita, ad parietes illorum alliditur, suoque impetu lapidem circum torquet, donec illum sit nactus positum, quem subterraneum antea obtinebat, quique circulationem materiæ esset congruus, attrahunt inde magneticæ moleculæ ferrum, unde declinatio magnetis ad polos quasi propullulat. vid. Cartes. part. 4. Princ. num. 133. & Robault. *Tract. phys.* part. 3. & 8. Kircherum in arte magnetica.

§. VIII.

Equidem nunc & de *Transplantatione* dicendum esset, & de *cura sympathetica*. Sed ne ex disputatione librum facere videar, aliis id laboris ac negotii, qui in *hoc transplantationis* opere melius me exercitati sunt, relinquere nunc placet, qui potius disputationis meæ vela contrahere eamque hoc finire volo voto, ut causæ rerum naturalium occultæ, indies magis patefiant.

COROLLARIA.

Qualitates occultas aliquando fieri manifestas, probabile est.

D 3

An

An Dispositiones genethliacæ debeant
simpliciter rejici?

Atomologia seu philosophia corpuscu-
laris, reliquis palmam rapere vide-
tur.

Unica est naturæ clavis, & idem mecha-
nismus in rebus quocunque veniunt
nomine, occultis naturalibus

Omnia phænomena per Transpiratio-
nem facta sunt, & per illam debent
& possunt resolvi.



1074

